

In his omnibus Officiis enim non dicitur Hymnus *Te Deum*.

III. In Officiis de Tempore, nempe de Dominicis et de Feriis, sumuntur Responsoria ex eo loco, ubi primo sunt posita in principio mensis, vel libri, et repetuntur in aliis sequentibus Dominicis illius mensis in quibus alia non assignantur; vel donec de illo libro legitur, unde sumpta sunt Responsoria. Quæ autem in prima Hebdomada mensis posita sunt per Ferias, repetuntur eodem ordine in eisdem Feriis per sequentes Hebdomadas, donec alia ponantur. Ubi vero non adsunt propria, semper ex Nocturnis Dominicæ sumuntur, eo ordine qui describitur in Rubricis generalibus (Tit. XXVII, nn. 4, 5). — Si Responsoria primi Nocturni ejus Dominicæ, in qua primo ponuntur, propter Festum duplex in ea occurrens, in ipsa Dominica poni non possint, ponantur prima die ejus Hebdomadæ, in qua occurrit fieri de Feria, et omittuntur alia quæ forte in illa Feria propria haberentur. Si vero non possint poni antequam alia sequentia Responsoria sint primo ponenda, eo anno omittantur.

Exempla: Quotannis in Directorio Diœcesis Mechliniensis annotatur in decursu mensis Octobris, quando dicendum venit primum Officium de Feria, quod Responsoria in hac Feria, quæcumque sit, ponuntur ea quæ in primo Nocturno Dominicæ præcedentis descripta habentur, et in hac Dominica dici non potuerunt.

IV. In Festis et Officiis novem Lectionum, in quibus Lectiones primi Nocturni dicuntur de Scriptura occurrente, semper Responsoria post has Scripturæ Lectiones sumenda sunt quæ assignantur in Officio proprio, vel in Communi horum Festorum vel Officiorum pro primo Nocturno, et non Responsoria posita in Proprio de Tempore post Lectiones de Scriptura.

V. Conferantur dicta Q. 36, de Versu *Gloria Patri*, etc., in ultimo Responsorio cujusque Nocturni, necnon de *Alleluja* quod additur Tempore Paschali.

NOTA. I. In Communi unius Martyris describitur octavum Responsorium Matutini speciale: *Domine prævenisti eum etc.*, quod dicitur in Festis sex Sanctorum Martyrum Pontificum Eusebii (16 Decembris), Marcelli (18

Januarii), Joannis (27 Maji), Silverii (20 Junii), Martini (12 Novembris), et Pontiani (19 Novembris). (Rubrica specialis Breviarii post octavum Responsorium in Communi unius Martyris.) — Ad dubium: « Utrum in Officio simplici Martyris, qui sanguinem non fudit, semper pro secundo Responsorio dicendum sit: *Domine prævenisti etc.*, quæcumque occurrat Feria, vel tantum dum occurrit Feria IV? » S. Rituum Congregatio respondit: « Responsorium: *Domine prævenisti etc.*, dicendum esse in quocumque Officio Martyrum, qui perierunt non effuso sanguine. » (Decret. 10 Januarii 1693, n. 1890, ad 2, antiq. 3301, ad 5.) — Ex hoc Decreto noscitur ratio hujus Responsorii.

II. In Communi plurimorum Martyrum describitur octavum Responsorium Matutini speciale: *Hæc est vera fraternitas, etc.*, quod dicitur post octavam Lectionem in Officio novem Lectionum, vel post secundam Lectionem in Officio trium Lectionum, in Festo plurimorum Martyrum fratrum. (Rubrica specialis Breviarii post octavum Responsorium in Communi plurimorum Martyrum.) — Hæc Rubrica stricte sumenda est de fratribus sanguinis vinculo conjunctis, et ex eodem genitore progenitis; et quidem de eis solis Officium fieri potest: quodsi cum fratribus carnalibus celebrentur alii non fratres, in eodem Festo, Responsorium non dicitur. Ideo non dicitur in Festorum Sanctorum Eustachii, conjugis et filiorum (20 Septembris), quia licet filii inter se fratres sint secundum carnem, junguntur tamen in eodem Officio cum patre et matre; nec dicitur in Festo Sanctorum Septem Fratrum Martyrum, filiorum Sanctæ Felicitatis (10 Julii), quia in eodem Officio junguntur cum Sanctis Rufina et Secunda, Virginiibus et Martyribus. Sed dicitur hoc Responsorium in Festo SS. Joannis et Pauli, Martyrum (26 Junii), qui fratres secundum carnem sunt; item in Festo SS. Martyrum Cosmæ et Damiani (27 Septembris), etc.

Nihilominus hæc Rubrica suas patitur limitationes, si quis religiosus Ordo gaudeat peculiari privilegio legendi hoc Responsorium, quando fit Officium plurimorum Martyrum ejusdem instituti, quali fruuntur Fratres Minores Sancti Francisci. (Cfr. Adnotationes super

Decreto S. Rituum Congregationis 22-25 Augusti 1818, n. 2587, antiq. 4549, ad 1; Vol. IV Collectionis, pag. 177.)

Legitur etiam hoc Responsorium in Festo SS. Martyrum Gorcomiensium (9 Julii, in Proprio Diœcesis Mechliniensis); ita fuit concessum, etiamsi inter novemdecim hos Sanctos Martyres plures diversorum religiosorum Ordinum et sæcularis quidem Sacerdos numerentur, et novem tantum ex Ordine Fratrum Minorum.

III. In Officio SS. Ecclesiæ Doctorum, sive sint Pontifices sive non Pontifices, dicitur Octavum Responsorium speciale *In medio ecclesiæ etc.*, ut notatur in Communi Doctorum (post Commune Confessoris Pontificis).

Q. 218. *Quænam mutationes aliquando fieri debent in Responsorio brevi ad Primam? Quid de eis notandum est?*

R. I. In Responsorio brevi ad Primam, Versus: *Qui sedes ad dexteram Patris*, non raro in alium mutari debet; hæc mutatio fit:

a) vel ratione Temporis anni ecclesiastici; ex. gr., per totum Adventum dicitur: *Qui venturus es in mundum*; Tempore Paschali, usque ad Ascensionem dicitur: *Qui surrexisti a mortuis*; ab Ascensione usque ad Pentecosten dicitur: *Qui scandis super sidera*;

b) vel ratione Octavæ alicujus Festi; ex. gr., infra Octavam Epiphaniæ dicitur: *Qui apparuisti hodie*; infra Octavas SS. Corporis Christi, et Festorum B. Mariæ V. dicitur: *Qui natus es de Maria Virgine*;

c) vel ratione Festi, aut Officii votivi; ex. gr., in Festis SS. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis Domini, B. Mariæ V., etc., in Officiis votivis de SS. Sacramento, de Passione Domini, de Immaculata Conceptione B. Mariæ V.; prout in locis propriis indicatur, et in Directorio annuntiatur.

II. 1º Quando mutatio præscribitur facienda ratione Temporis aut Octavæ, fit non solum in Officiis de Tempore aut de Octava, sed etiam in omnibus Festis, etiam duplicibus 1 classis, infra hoc Tempus vel hanc Octavam occurrentibus, nisi hæc Festa proprium habeant Versum, ut mox dicetur; etiamsi infra Octavam in Officio Sancti nulla fieret Octavæ Commemoratio.

Exemplum: Dominica infra Octavam Assumptionis B. Mariæ V., celebratur Festum duplex 2 classis S. Joachim, Patris ejusdem B. Mariæ V.; etiamsi in hoc Festo nulla fiat Octavæ Assumptionis Commemoratio, tamen dicitur ratione Octavæ Versus *Qui natus es de Maria Virgine*.

2º Quando in aliqua die plures Versus proprii occurrunt, primus ratione Temporis, alius ratione Octavæ, alius ratione Festi, tunc Versus proprius Festi præfertur Versibus Octavæ et Temporis, et Versus proprius Octavæ præfertur Versui proprio Temporis.

Exempla: Die 24 Maji, celebratur in Diœcesi Mechliniensi Festum duplex majus B. Mariæ V. sub titulo Auxilii Christianorum; præscribitur Versus *Qui natus es de Maria Virgine*; anno 1903, occurrit hoc Festum infra Octavam Ascensionis Domini, pro qua præscribitur Versus *Qui scandis super sidera*; relicto Versu proprio Ascensionis, dicitur Versus proprius Festi B. Mariæ V.

Tempore Adventus, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., dicitur Versus *Qui natus es etc.*, huic Octavæ proprius, et præfertur Versui proprio Temporis Adventus, etiam cum infra hanc Octavam Officium fit de Dominica Adventus, ut declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 3 Julii 1896 (n. 3924, ad 11).